Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1261
Quelle:
Copyright:

XIII. *fol. eod.* p. 2. *Vita beati philippi apostoli.* Initium: *Cum post ascensionem domini predicasset gentibus in scitia beatus philippus* &c. Geminam huic ἐπιτομὴν exhibent *Bollandiani* ad diem 1. *Maji p.* 11. quemadmodum omnibus tribus similia apud *Mombritium cit.* invenias.

XIV. *fol.* 125. praevio tamen Indice *Incipit Gemma. De diuinis officijs per circulum Anni.* Ut ad *Cod.* DCCXCI. observavimus, *Honorii Augustodun.* est. Praeit Epistola Solitariorum: *Agmen in castris eterni regis* &c. sed Opus in tractatione de Oratione Dominica ad illa verba: *cum nos filio eius uniti* — abrumpitur; quod dolendum, cum τα σωζομενα ab eleganti manu sint.

CCCXXVII.

374 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 92. f. per duas columnas admodum nitide scriptus, rubricisque pernotatus est *Tractatus de Deo* ex intima Theologia scholastica petitus, cujus *Praefatio* excidit, unde nomen Autoris *Raymundi* e calce praeoccupare cogor. Initium ejus nunc est: *De prima distinctione. Distinctio ista in duas partes est diuisa. Prima est de principiis. Secunda est de regulis. Principia enim sunt XVIII. videlicet. bonitas. Magnitudo. Eternitas. Potestas. Intellectus* &c. Quo loco habita fuerint Autoris subtilitatibus *Aristotelicis* penitus innutriti aevo linguarum praesidia, liquet *fol.* 87. ubi de *Sensu Autoritatis* tanquam *genere* agens *quatuor* illi *species* subjicit, videlicet *Litteram, Allegoriam, Tropologiam* et *Anagogiam* et addit: *Et quia ista Vocabula sunt Greca et barbara, impediunt linguam latinam. Vnde propter hoc volumus venari istas species quatuor modis. vt euitemus confusionem vmbram et sensum enigmatum grecorum vt ad clarum spiritum latinorum veniamus.* Itaque vocabula *Fundamentum, paries, tectum, habitacio* substituit. De Libro suo ita finit: *Qua de causa correctioni ipsum submitto romanę ecclesię sacrosanctę tamquam catholicus christianus.* Additur literis grandiusculis: *Ad laudem et honorem Domini nostri ihesu cristi Et beate Marie semper Virginis matris eius. eciam angelorum et sanctorum omnium paradisi. Factus est Liber iste quibus ipsum offero et comendo et ipsum per consequens Patri sanctissimo domino Clementi V°. Et venerabilissimis dominis Cardinalibus recomendo. Et excellentissimo phylippo francorum Regi Domino vna cum clericorum parisiencium reuerendissima facultate. Supplicando prout possum quatenus videant librum istum et ipsum promoueant multiplicent et exaltent. quia dei factus est ad honorem. Finiuit Raymundus librum istum diuina gracia adjuuante apud montepessulanum in Mense May. Millesimo Trescentesimo 8°. Incarnacionis domini nostri ihesu christi. Deo Gratias. Amen.* Est hic famosus ille *Raymundus Lullus Majoricensis* tertii Ord. *Francisc.*